



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Cap. VI. An Deus sit inuisibilis corporeis oculis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

himitum, quia lege ordinaria non potest comprehendendi etiam per illam gratiam. Et ita plane loquitur Chrysoſtom. supra, & alij, quos capite ſeq. referam. Secundo, quia Concil. Baſil. ſeſſ. 22. contra quendam Auguſtinum de Roma docet, etiam Chriſti animam non comprehendere Deum: cum tamen certum ſit illam ſanctiſſimam animam perfectiſſimam habere de Deo cognitionem, quæ ſecundum potentiam Dei ordinariam haberi poteſt. Et quamvis Concil. illud non faciat certam fidem, oſtendit tamen multum, communem Eccleſiæ ſenſum. Tertio eſt ſimile argumentum, quod Patres pro comperto habent; Angelos etiam videntes Deum non comprehendere Deum, at ſi comprehenſibilis eſſet Deus per gratiam ſecundum potentiam ordinariam; non eſſet fundamentum ad id negandum de Angelis Beatis, nedum ad id docendum tanquam certum. Idemque argumentum ſumitur ex communi conſenſu Scholaſticorum, qui vt certum ſupponunt, Beatos de facto non comprehendere Deum, in quo omnes ſine controverſia conveniunt, quod eſt hgnum certiſſimi dogmatis, ita D. Thom. 1. part. quæſt. 1. 2. artic. 7. & 3. p. quæſt. 10. art. 6. Alenſ. 1. parte quæſt. 7. in 1. Damaf. Richa. Dur. Gab. Alma. & Palud. in 3. d. 14. Ocham. in 4. qu. 15. Scot. d. 49. quæſtione 1. Vbi dixit Sco. in 4. diſt. 49. quæſt. 3. artic. 1. eſſe de fide, Deum non comprehendere à Beatis, & eodem modo loquuntur multi alij, præfertim ex recentioribus, licet in modo explicandi, & ratione reddenda differant, quod non refert. At certe ſi à Beatis non comprehenditur Deus, de lege ordinaria nequit comprehendere.

6. Alio ergo modo intelligi poteſt illa limitatio in ordine ad abſolutam potentiam, ita vt dicatur incomprehensibilis Deus, quia ſecundum legem, & potentiam ordinariam comprehendere non poteſt, licet per potentiam abſolutam non repugnet iſummet Deum facere, vt ab aliquo intellectu creato comprehendatur. Et in hoc ſenſu res non videtur adeo certa. Ego vero exiſtimo dogma fidei eſſe aliquem modum incomprehensibilitatis conuenire Deo in ordine ad omnem intellectum creatum, quantumcumque eleuatum per gratiam ad cognoscendum Deum, & in ordine ad omnem actum intelligendi creatum quantumcumque perfectum. Non aſſero hanc meam cenſuram eſſe de fide, de hoc enim alijs iudicium relinquo, ſed explico modum, quo intelligo dogma fidei. Putoque ſenſum eſſe fatiſ certum. Primo, quia ita videntur ſenſiſſe omnes Scholaſtici, niſi enim intellexiſſent, hoc modo Deum eſſe incomprehensibilem, non tanta conſenſione, & diligentia ſtudiſſent defendere, & explicare Deum non comprehendere à Beatis. Si enim hoc creaturæ non repugnat, vnde conſtat Beatis non eſſe conſeſſum? Maximeque vrget hoc argumentum in Chriſti anima, cui Deus dona gratiæ, ac gloriæ cumulatiffime conſeſſit.

7. Secundo ſumi poteſt non leue argumentum ex eo, quod Patres oſtendunt, diuinitatem Spiritus ſancti: quia comprehendit diuinitatem naturam. Quod argumentum non eſſet efficax, ſi comprehendere poſſet Deus à perſona alienæ naturæ. Ita argumentatur Athanaſius in diſputatione. cum Ario in Concilio Niceno, in fine. Et ex vi euſdem argumenti colligunt Patres, Spiritum ſanctum eſſe Deum ex illo 1. Corinthiorum 2. Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Et ex illo. Quia ſunt Dei, nemo nouit niſi Spiritus Dei, qui in ipſo eſt. Illud enim ſcrutari, & noſcere eſt comprehendere, vt notaui Baſil. libro 5. contra Eunom. Et Idacius Clarius libro contra Varimandum Arian. & Diuus Thom. in Paulum: adiungitque illud ſapientiæ ſeptimo, vbi de Spiritu ſancto dicitur Omnia proſpicit. Qui enim Deum comprehendit, omnia proſpicit. Reſpondebit forſan aliquis, Spiritum ſanctum virtute ſibi connaturali

comprehendere Deum, & inde recte colligi diuinitatem eius, & hoc non eſſe communicabile creaturæ, inde tamen non ſequi, non eſſe communicabile per gratiam. Sed hoc eneruat argumentum Patrum. Tum quia Paulus non dicit Spiritum ſeruari virtute naturali, vel gratis donata ei, ſed ſimpliciter loquitur. Vnde poſſint hæretici reſpondere, Spiritum ſanctum habere illam ſpecielem gratiam, quia eſt excellentiſſima creatura, ſicut in multis alijs de Verbo dicebant. Ergo vt argumentum ſit efficax, oportet, vt ex ipſa ratione comprehensionis ſimpliciter ſpectata ſumatur, ſicut Paulus loquitur, & Patres argumentantur. Tum etiam quia illo modo, & cum illo addito, etiam ex ſimplici viſione Dei poteſt colligi aliquem eſſe Deum, ſi virtute naturali Deum videat, at ſancti non ita loquuntur, ſed ſpecielem vim faciunt in comprehensione.

Tertio eſt hoc valde conſentaneum rationi, quia nullus intellectus creatus, quantumuis eleuetur ſupernaturaliter ad intelligendum, accipere poteſt virtutem intelligendi, niſi finitam ſimpliciter, nec videre, aut intelligere poteſt, niſi per intellectionem creatam, vt infra dicemus, quæ ſubinde erit etiam perfectionis, & repræſentationis ſimpliciter finita, ergo impoſſibile eſt, vt comprehendat rem intelligibilem ſimpliciter infinitam, vt eſt Deus. Patet conſequentia, quia comprehenſio requirit adæquationem quandam inter capacitatem intelligentis, intellectionem, & intelligibile, quam adæquationem impoſſibile eſt interuenire inter finitum, & infinitum. At enim Auguſt. dicto libro 12. de Ciuitat. capit. 18. Quod comprehenditur, finiri à comprehendente: impoſſibile autem eſt infinitum totaliter finiri à finito. Habet nihilominus hæc ratio, ipſamet aſſertione in hoc ſenſu intellecta, non parum difficultatis, tota vero oritur ex viſione Dei clara, cur non ſit comprehenſio Dei, vel ſaltem cur eſſe non poſſit. Et ideo poſt explicatam viſionem illam, & obiectum eius, difficultas hæc commodiſtra tractabitur. Et inde etiam explicabitur, an, & quomodo ſit proprium Dei hoc attributum, ita vt eſſe incomprehensibilem ſoli conueniat Deo ratione ſuæ infinitatis, ſicut nunc ſupponimus.

8. Ratio. Auguſt.

CAPVT VI.

Sit ne Deus inuiſibilis, præfertim corporalibus oculis.

Verum Deum inuiſibilem eſſe diuina Scriptura frequenter prædicat: ideoque tanquam fidei dogma hoc ſtatuum eſt, & verus ſenſus poſtea explicandus. Dicitur ergo Deus 1. ad Timot. 1. Rex fidei dogma immortalis, & inuiſibilis, & capite ſexto dicitur, Rex eſt regum, & Dominus Dominatium, qui lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, & ad Roman. 1. etiam ea, quæ de Deo poſſunt naturaliter ex effectibus cognoſci, inuiſibilia dicuntur, & 1. Corint. 2. dicitur, Oculis non vidit, neque auribus audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iniquis diligens illum. Ac denique Ioan. 1. & 14. dicitur, Deum nemo vidit vnquam. Hac ergo veritate ſuppoſita, vt exponamus verum, & certum ſenſum eius, præmittendum eſt, Videndi verbum non tantum corporali viſui, ſed etiam intellectu attribui, tam reſtitato modo loquendi, vt iam propria videatur eſſe vtraque ſignificatio, vt late tractat Aug. epitt. 112. in principio. Poteſt ergo dici Deus inuiſibilis vel in ordine ad ſenſum viſus, vel etiam in ordine ad intellectum, & de vtraque ſignificatione dicendum. Hic breuiter expediemus priorem, quæ faciliſ eſt, & poſtea de altera dicemus.

Inſideles ergo idolorum cultores Deum viſibilem eſſe oculis corporeis crediderunt, vt Athanaſ. refert.

STANT  
in  
DOM  
D  
conu  
f

6. Vnde

1. Ratio

7. Secunda

Athanaſ.

1. Cor. 2.

Auguſt.

2. Athanaſ.

Cypria.

Epipha.

Athana.

August.

D Tho.

oration. contra Idol. Et Cyprianus. libro de Idolor. vanitate. Rursus haeretici, qui Deum corporeum fecerunt, consequenter asseruerunt hoc modo esse visibilem, teste Epiph. haer. 70. Aliqui etiam posuerunt Verbum diuinum esse visibile, imo corporeis oculis visum esse à Patribus veteris testamenti in substantia sua: sed isti non credebant Verbum esse verum Deum, sed Ariana haeresi laborabant, vt intelligi potest ex Athanasio in disputatione cum Ario in Concilio Niceno, & Augustino 3. contra Maximinum capite vigesimo sexto, & secundo de Trinit. capite octauo. Tandem (quod mirabilis est) tractans idem Augustinus 22. de Ciuit. capite vigesimo nono quaestionem hanc, an Deus videri possit, imo an videndus sit oculis corporeis: rem in vtramque partem ita disputat, vt in affirmantem propendere videatur, vel saltem eam relinquat indecisam, vt notauit Diuus Thomas dicta quaestione 12. arti. 3. ad 2. Et in huius partis confirmationem asserit Aug. duo testimonia Iob. quae in argum. 1. ibidem adducit D. Tho. *In carne mea videbo Deum c. 19. & audiuo auris audiuo te, nunc autem oculus meus videt te.*

3. Verumtamen aduertendum est, duobus modis posse cogitari Deum esse visibilem oculo corporali: vno modo tanquam obiectum ex se proportionatum corporali visui, & visioni, ita vt licet fortasse in illo genere excellentioris ordinis sit, quam reliqua obiecta visibilia, nihilominus ex se veram naturam sensibilem habeat, sicut lux corporis gloriosi absolute sensibilis est de se, & visibilis oculo corporeo, licet sit excellentioris ordinis, & fortasse naturaliter videri non possit. Alio modo dici potest Deus videri posse oculo corporeo, non quia ex se fit villo modo obiectum proportionatum, seu commensuratum corporali oculo, sed quia licet ipse Deus purus spiritus sit, potest eleuare oculum, vt spiritualiter videat, ac proinde vt videat ipsum Deum, vel imprimendo ipsi oculo corporeo visionem spiritualem, vel faciendo talem tamque perfectam corporalem, seu materiale visionem, vt rem pure spiritualem repraesentet. Potestque hoc suaderi, quia non apparet in hoc aperta implicatio contradictionis. Item quia potest Deus eleuare oculum corporeum, vt videat Angelum, ergo vt videat Deum, quia si ex ratione spiritus non repugnat, non est, vnde repugnet. Antecedens probatur, quia potest eleuare intellectum hominis, vt videat Deum, ergo & visum corporeum vt videat Angelum, quia plus distat Deus ab intellectu hominis, quam Angelus à visu corporis. Vterque vero ex modis ponendi Deum visibilem visu corporeo falsus est, sed non in eodem gradu certitudinis.

4. Primo ergo de fide certum est, Deum non esse visibilem sensibili & corporali modo. Et hoc ad minimum allata Scripturae testimonia probant, & precipue fundatur in alio principio fidei, quod Deus non est corporeus, quod supra probatum est, quia idem est esse hoc modo visibilem, quod esse corporeum. Et hoc significare videtur Deuterono. 4. cum Moyses ad populum dixit, *voce verborum eius audisti, & formam penitus non vidisti, Formam vtiue sensibilem aut visibilem, & hac ratione dicit inferius: Nec similitudinem aliquam visisse, ne fortasse putarent, Deum esse similis formae. Sic dixit Paulus ad Hebraeos 11. de Moysse. Inuisibilem tanquam videns sustinuit. vt ibi Diuus Thomas exponit. Et eodem modo interpretatur illud ad Colossenses 1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Addidit enim id Paulus, ne Christus existimaretur imago rei materialis, aut corporalis rei, quae visu corporeo cerni possit. Ac denique in eodem sensu exponit D. Tho. praedicatum *inuisibile* attributum Deo à Paulo 1. ad Timot. 6. quia non dixit Paulus, *Sed inuisibilis*, sed *Sed in Deo*, quia Angeli etiam inuisibiles hoc modo sunt. Hac denique communis fides sanctorum Patrum, vt patet ex supra*

citatis contra haereticos, & ex alijs, quos capite sequenti referemus, & videri potest Irenaeus libro 4. c. 37. Eusebius Caesariensis lib. 8. de Praepar. Euangelica, capite secundo, vbi dicit: *Deum esse substantiam personam inuisibilem, cui similem, nec videre, nec cogitare ququam possumus.* Sic etiam Athanasius ad Liberium, Deum vocat *inuisibilem, & intabilem, eo quod Deus sit spiritus.* Et Olimpiodorus in 1. cap. Iob. Deum vocat *inuisibilem*, quia quantitates, & molis est expertus. Ex quibus etiam constat ratio huius veritatis, quae in sequenti assertionem amplius declarabitur.

Secundo certum est, nullo modo posse videri Deum per oculum corporeum, atque ita Deum esse inuisibilem corporeo visu per absolutam etiam eius potentiam. Hoc plane sentit D. Thom. dicta q. 12. artic. 3. & 3. contra Gentes ca. 54. Et alij Scholastici in 4. dist. 49. vbi praesertim Palud. q. 1. Scotus q. 3. Et idem sentit Aug. Epist. 111. & 112. Vbi vnum habet pro comperito, scilicet, Deum videri à Beatis oculo mentis, & inclinatur etiam in hoc, quod non videatur oculo corporis, nunquam tamen id docet, vt omnino certum. Nam in fine Epist. 11. de quodam Episcopo sententiae oppositum, solum dicit, oportere de eare inquire. In Epist. autem 6. constanter probat, Deum non esse videndum oculis corporeis. Ambrosius autem serm. 8. in Psalm. 118. aperte dicit, hoc esse impossibile. Estque iam recepta haec sententia, vt licet non possimus dicere esse dogma fidei, proxime ad illud accedat. Ratio communis est, quia non potest potentia aliqua ferri extra obiectum suum. Deus autem est extra obiectum corporalis visus: ergo. Minor tam certa est, quam est certum, Deum non esse corporeum. Mai. commune axioma, quasi per se notum, quia potentia sumit speciem ex obiecto adaequato suo, vnde non potest extra illud ferri. De quo principio dixi multa in 1. tomo 3. parte disputatione trigesima septima, sectione vltima. Potestque in hunc modum confirmari ratio, quia dupliciter potest intelligi visus corporeus eleuari ad videndum Deum. Primo recipiendo in se visionem spiritualem, & hoc repugnat, tum ex parte visus, quia non habet capacitatem ad spiritualem formam, tum ex parte visionis, quae suam determinatam naturam, & essentiam habet, secundum quam respicit intellectum, vt adaequatum subiectum, & consequenter non potest aliud informare. Alius modus est, quod visio corporalis eleuetur ad representandum Deum ipsum, prout in se est: & hoc plane corporalis formae limites excedit. Quod est clarus in opinione eorum, qui dicunt, actum videndi esse formalem similitudinem, sed intentionalem, adhuc intellectum non potest talis similitudo mente concipi, quia forma corporea non est sine extensione, & delineamentis, & ideo non potest illi similibus forma respondere in re spirituali. Veruntamen etiam si supponamus, visionem non esse huiusmodi similitudinem, sed intentionalem, adhuc intelligi non potest, quomodo visio corporalis repraesentare possit hoc modo rem omnino spiritualem, cum sit illi omnino improporcionata: tum quia qualitas corporea non potest nisi corporeo modo repraesentari, tum etiam, quia debet repraesentari potentiae corporali, quae de se est limitata ad obiectum corporale.

Dicunt vero aliqui, hanc rationem optime probare de visu corporeo, & potentia sensitiva, quae de facto habent pro obiecto adaequato corpora, seu corporum accidentia. Non tamen probare, quin possit Deus facere sensus aut visum corporeum, qui obiectum vniuersalius habeat, ideoque possit ad immaterialia videnda, ac subinde ad Deum ipsum intuendum eleuari. Veruntamen disputatione Sanctorum Patrum fuit de sensibus, & oculis humanis, vel qui esse possint in corpore humano vero,

CAPVT VII.

An Deus sit inuisibilis in se, & in substantia sua respectu omnis intellectus creati.

EX Diuinis testimonijs supra citatis intulerunt quidam haeretici, à nulla creatura, quantumcūque perfecta per gratiam, vel eleuata per gloriam posse videri Deum, prout in se est, quia alias non esset Deus simpliciter inuisibilis ab alio, ita enim hoc attributum intelligebant, nam constat Deum videre se ipsum, sicut supra de incomprehensibilitate dicebamus. Vnde consequenter aiebant, Beatos tam homines, quam Angelos solum videre quandam eminentem lucem ex diuina substantia resultantem, & ideo dici videre Deum, non in se, sed eo modo, quo sol in splendore videtur. Hunc errorem sine nomine Auctoris refert Gregorius lib. 18. Moral. cap. 38. Ita vero sensisse Armenos refert Armacanus libro decimo quarto, de quaestionibus Armenorum capite 1. & Guido Carmelita, Prateolus, & alij. Tribuitur etiam Petro Abailardo, & socio eius Arnaldo à Castro verb. Beatusudo, haeref. 1. & Prateolo in suo Elencho sub nominibus horum haeticorum. Quamuis Bernardus cuius tempore illi orti sunt, impugnans eorum errores ab Epistol. 187. vsque ad 198. nullam mentionem huius erroris fecerit, ait tamen multos alios habuisse praeter eos, quos ipse refert. Denique in hoc errore fuit Almericus, vt refert Prateolus & Turrecremata libro quarto, de Eccles. capit. 35. Fundamenta huius erroris, praeterim quae sumuntur ex dictis sanctorum, habent non nihil difficultatis, afferremusque illa commodius post confirmatam veritatem.

Dicendum ergo est primo, obiectum proximum, & immediatum visionis beatae esse Deum ipsum per essentiam, & substantiam suam absque vlla creatura seu imagine creata, quae deferuiat tanquam medium cognitum, seu obiectum proximum, in quo reluceat Deus. Conclusio est de fide, & probatur primo ex Scriptura sacra, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 5. haec ergo visio promittitur nobis tanquam verum, & principale praemium, vt saepe Augustinus Epistol. 112. capite quarto, & sequentibus, & 22. de Ciuitat. capit. 23. Ex sumitur ex eodem libro 1. de Trinitate cap. 8. & sequentibus. & Concioni. 2. in Plalm. 21. praeterea Ioann. 14. ait Christus: Qui diligit me, diligitur à Patre meo; & ego manifestabo ei me ipsum. Quod ita exposuit Augustinus tractat. 73. in Ioann. & Greg. 18. Moral. capite 37. Qualis autem futura sit illa visio, declarat Matth. 18. vbi de Angelis dicitur. Semper vident faciem Patris: additurque capite 22. homines Beatos futuros esse aequales Angelis, vt recte Augustinus Epistola 3. & ideo Paulus 1. ad Corinth. 22. ait: Tunc autem facie ad faciem, Et Apoc. 22. Videbitis faciem eius.

Haec autem, & similia testimonia videntur reddi incerta ex quadam ambiguitate, seu aequiuocatione Scripturarum, in quibus saepe dicitur videri Deus, & interdum etiam facie ad faciem, licet non in se, sed in aliqua imagine, vel corpore assumpto videatur. Sic enim Iacob dixit, se Deum vidisse facie ad faciem, cum tamen non solum substantiam Dei non vidisset, verum nec substantiam Angeli in se, sed in corpore assumpto. Ergo praedicta testimonia non possunt facere certam fidem, quod Deus immediate in sua substantia videndus sit.

Respondeo, non esse similem rationem, & merito Ecclesiam semper intellexisse priora testimonia in dicto sensu. Primo, quia verba scripturae in proprietate hoc significant, & si alicubi aliter intelliguntur, est per metaphoram, quae metaphora in alijs

no vero, & naturali quo ad substantiam eius, quantumuis per gloriam, vel supernaturalia dona perfecto. Fingere autem nunc quaestionem de nouo ordine sensuum possibilitatum inuitile est, & praeter humanam cognitionem. Existimo autem chimericum esse cogitare potentiam sensitiuam, & corpoream, & de se vniuersalem, & capace obiectorum spiritualium, vt talia sunt, id est, prout in se sunt. Quia hoc est confundere intellectum cum sensu, imo est pracludere omnem viam ad distinguendum intellectum à sensu, & probandum intellectum in se esse spiritualem facultatem. Nam si excogitari potest virtus cognoscitiua habens pro obiecto res spirituales, seu aliquid vniuersale comprehendens illas, quomodo conuinci poterit, qui dixerit talem potentiam esse intellectum nostrum? Rationes ergo factae probant, materialem, & corpoream facultatem natura sua esse limitatam ad corporale obiectum, ac proinde extra illud eleuari non posse ad rem spiritualemente intuetam, prout in se est, & maxime ad Deum, qui purissimus spiritus est.

Quoties ergo scriptura significat Deum esse visum ab hominibus oculis corporeis, non loquitur de visione diuinae substantiae in se ipsa, sed in aliquo corpore representante ipsam, vt docent Patres supra citati praeterim Epiph. Aug. & Ambr. Item Gregorius 18. Moral. capit. 36. & Hierony. Epist. 142. ad Damasum, & in cap. 64. illa, & bene Aug. 10. de Ciuit. cap. 13. Interdum vero est sermo de visione imaginaria, vel intellectuali proportionata iuxta loci exigentiam. In priori ergo loco Iob supra citato, sermo est de visione Dei intellectuali, quam homines habebunt post resurrectionem in corporibus suis, vt D. Thom. in dicto ar. 3. ad 1. exponit. Vnde (vt etiam Aug. notat) non dicit Iob, Videbo Deum per carnem meam, sed, in carne mea. Potest autem instari, quia statim addit Iob. Quae oculi mei conspexerunt. Dicendum vero est hoc etiam referri ad oculos mentis, licet probabile sit, ibi etiam significare voluisse spem, & fidem, quam habebat in Christum, cuius conspectum etiam corporeum secundum humanitatem sperabat. Alium vero locum exponit Diuus Thomas de oculo cordis, non autem exponit, quomodo Iob de praesenti dicat, Oculi mei vident te, & distinguit visionem illam à cognitione per auditum. Existimo tamen illam visionem significare quandam cognitionem aliquo modo euentem per sapientiam infusam, distinguere ab alia cognitione, quae est per meram fidem. Nam quae credimus simpliciter, per merum auditum recipimus, postquam autem spiritualia degustare, & experimento cognoscere incipimus, tunc quodammodo per eadem videmus. Ita fere Gregorius lib. 35. Moral. cap. 2.

Ad rationes autem, quae in contrarium fiebant, respondetur, contradictionem esse, quod potentia vitalis extra obiectum adaequatam feratur, & quod forma informet potentiam, ad quam non habet habitudinem, nec proportionem. Ad argumentum vero proportionale respondetur, non esse eandem rationem, quia licet in perfectione entis plus distet intellectus hominis à Deo, quam visus corporalis ab Angelo, quia illa distantia est infinita, haec finita: nihilominus in proportione obiecti, & potentiae plus distat Angelus à visu, quam Deum ab intellectu, quia Angelus extra totam latitudinem obiecti visus constituitur: Deus autem non est extra obiectum adaequatam intellectus, vt in sequentibus capitibus magis explicabitur.



Handwritten notes on the right margin, including 'D.V.' and other illegible characters.

Expositio

ad argum.

Hariti

Prima ass

Matth. 5

Ioan. 14

Matth. 18

1 Cor. 34

Apoc. 22

Obiect. occu

71111